



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

In decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Primam Partem, & Primam Secundæ D. Thomæ. Ad Alexand.
VII. Pont. Max.

Esparza Arteida, Martin de

Lugduni, 1666

XXVIII. Vtrum in Deo detur prouidentia inductiua legum naturæ, iisdemque
deuincta?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94815)

plurimum, vt Diuina commodè apprehendamus, & exponamus ordinatè modo humano, & ad instar rerum humanarum; sed quidquid in hunc scopum desiderari poterit in præsentì, abundè suppeditatum est quæst. illa 5. & 6. Vbi etiam adhibita est præcautio, ne modus noster concipiendi Diuina dependenter à rebus creatis obrepat, & transferatur, vt accidit, non paucis, nec in paucis, ad ipsa prædicata Diuina per confusionem modi concipiendi cum modo intrinseco essendi rerum. Huic humano concipiendi modo attemperat se frequenter circa actus Diuinos sacra pagina, vt apparet ex. gr. ex Pl. 102. 7. *Notas fecit vias suas Moysi; Filiis Israel voluntates suas.* Actorum 13. 22. *Qui faciet omnes voluntates meas.* Apocal. 20. 12. *Et iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris* (in æterna Dei dispositione) *secundum opera ipsorum.* In quibus, aliisque similibus sola continetur prædicta distinctio rationis purè extrinseca, fundata in multiplicitate obiectorum creatorum, & independentia nostri intellectus ab illis, quoad intelligentiam, & considerationem prouidentia, voluntatisque Diuinæ ad instar nostræ.

QVÆSTIO XXVIII.

Vtrum in Deo detur prouidentia inductiua legum naturæ, iisdemque deuincta.



IDEVR non dari. 1. Quia de conceptu legis est, vt inducat rationem debiti. Nihil autem datur in natura, quod inducat in Deum rationem debiti respectu cuiusquam rei conferendæ, vt habetur ex Augustino l. 3. de Libero Arbitrio c. 15. fine, vbi ait; *Deus nulli debet aliquid, quia omnia gratuito præstat.* Nullas ergo leges continet in se natura, aut inducit in illam prouidentia Diuina, quibus eadem prouidentia deuincta, ac determinetur ad vnum aliquem effectum potius quam ad oppositum.

2. Lex naturaliter, ac essentialiter indita rebus omnibus creatis hæc est, vt pareant in omnibus, & quoad omnia voluntati Diuinæ, quidquid demum, & quomodolibet ipsa statuerit. Qui enim fieri potest, vt effectus polleat vi adstringendi causam suam, & minuendi, ac impediendi plenissimam illam libertatis indifferentiam, qua factus est? Et qua sapientia operatus fuisset Deus; si ea fecisset, quæ suæ voluntati, & potentia leges darent, & non potius eas acceptarent, & ineluctabiliter exequerentur, quæ sibi imposita essent ab auctore suo? Quod argumentum premittit Augustinus l. 26. contra Faustum c. 3. dicens *Deus creator, conditor omnium naturarum nihil contra naturam facit. Id enim erit cuique rei naturale, quod ille fecerit, à quo est omnis modus, numerus, & ordo naturæ.* Nullas igitur leges determinatas inducit prouidentia Dei in hanc rerum vniuersitatem, quibus deinde ipsa etiam Dei prouidentia, & voluntas teneatur, atque ligetur.

3. Antequam quidquam Deus conderet, nihil creaturis vlla lege debebat; sed omnia fecit cum plena, & perfecta libertatis in vtramque partem indifferentia, vt patet ex quæst. 20. Nec enim erat, cui aliquid deberetur, antequam quidquam factum esset, vt rectè pronuntiat Augustinus c. illo 15. de Libero Arbitrio, & ex eo argumentatur D. Thomas 1. contra gent. c. 81. Ergo neque debet quidquam alicui Deus post productionem rerum creatarum. Patet

consequentia. Quia, qui nihil cuiquam debet, non potest reddi debitor vterioris beneficentiæ per solam alicuius doni collationem purè liberalem. Aliàs liberalitas foret onerosa largitori munerum purè liberali; & accipiens absque vlllo iure accipiendi, per solam acceptationem secundum se, etiam libertatis expertem subderet sibi donatorem iure contra ipsum acquisito, quod illum volentem nolentem traheret ad vberiore largitionem. Quam vtriusque iniquissimam conditionem lumen rationis sponte sua auersatur. Ergo Deus neque ante omnem productionem creaturarum, neque post aliquas productas vllum debitum incurrit, aut lubest alicui legi determinanti ipsum ad aliquid, vel primitus faciendum, vel postea superaddendum.

4. Deus potest vertere in nihilum totum hoc vniuersum eadem facilitate, & cum eadem plenitudine libertatis, qua potuit illud non condere, atque adeo leges, si quæ illi insunt, potest, quandocumque libuerit, penitus abolere, vt liquet ex illo Sapientia 11. 23. *Quoniam tanquam momentum statera, sic est ante te Orbis terrarum, & tanquam gutta roris antelucani, quæ descendit in terram;* hoc est, tam facillè totum vniuersum annihilare potest Deus, quam facillè voluit statera in vtramvis partem leuissimo quouis impulsu, & quàm facillè exsiccatur ad radios solis, & vanescit in auras guttula roris. Qui autem tam facillè, & cum tanta indifferentia annihilare potest vniuersum, nullis profecto legibus in eo contentis subest vlla ex parte. Nulli namque iuri subest, aut legibus, qui fundamentum iuris, & legum, ipsumque ius, & leges sola sua voluntate abrogare, & tollere potest simul cum termino iuris, & legum, vt patet ex quæst. 16. de iustitia. Nullis ergo naturæ legibus subest prouidentia Dei.

5. Corpora Cælestia, quæ sunt omnium præstantissima inter omnia irrationalia, nullam habent existentiam determinatam, nullasque proinde leges continent in se, vt prosint potius, quàm noceant rebus sublunariis, & sibi inuicem. Quia nulla eiusmodi exigentia, aut lege intrinsecè determinantur, vt moueantur potius, & circumagantur, quam vt quiescant; aut vt velociter moueantur potius, quàm lente; ac demum, vt progrediantur potius, quam vt retrogrediantur: sed pendent cum totali indifferentia ex parte sui, à libera voluntate, & impulsu Angelorum mouentium, vel non mouentium, & mouentium sic, vel aliter pro libito, vt fert communis Philosophi, D. Thomæ, aliorumque opinio, inde vel maximè probantium necessitatem, & existentiam eorundem Angelorum. Ab eo autem motu pendent corpora sublunaria, quoad omnes suas actiones, & passionem. Ergo neque corpora sublunaria habent existentiam vllam, aut legem sibi intrinsecam operandi, vel non operandi, & sic, vel aliter operandi; sed ad omnia indifferentes se habent. Ergo in tota natura saltem sensibili nihil est, quo, tanquam lege deuincta diuina prouidentia.

6. Leges determinatæ naturæ antecedentes vltimam determinationem liberam prouidentia Dei, neque aliquid creatum esse possunt, neque aliquid increatum. Non aliquid increatum; Quia omnia prædicata necessaria Dei sunt æquè indifferentia ex se ad existentiam, & non existentiam omnium, & quarumlibet rerum creatarum, vt dictum est quæst. 20. actus verò liber vnicus tantum virtualiter intrinsecè indiuisibilis dari potest in Deo respectu vniuersalis dispositionis vniuersalis rerum creatarum, vt dictum est in quæst. præcedenti; ac proinde fieri non potest, vt vnus actus liber Dei habeat rationem legis determinantis ad alium actum liberum Dei. Nihil, igitur intrinsecè Deo est lex naturæ determinatiua

providentiæ Dei ad aliquid. Sed neque aliquid creatum potest eiusmodi legem constituere intrinsecè: tum quia inde fieret, Deum habere legem positam extra ipsum Deum, cui parere teneatur, quod est absurdum; tum quia non aliter excogitari potest aliquid creatum inducere necessariò existentiam alterius rei, quàm per appetitum innatum eiusdem; qui tamen appetitus nequit rectè dici lex, respectu Dei, quia Deus tam facillè contradicit appetitui innato entis creati, quàm facillè satisfacit eidem; vt patet in pluribus miraculis patris à Deo contra talem appetitum, patris verò tam facillè, quàm facillè operatus fuisset effectus connaturales impossibiles cum effectibus miraculosis. Deus enim nihil difficulter facere potest, cum sit omnipotens. Deinde quod dicitur appetitus innatus, est loquutio metaphorica; & oportet, vt redigatur ad proprietatem per aliquod aliud prædicatum. Quod tamen non apparet iussiciens pro re intenta.

Art. 1. Respondetur. Pròvidentiæ Dei ordinariam astringi legibus naturæ, nec illas prætergredi Deum posse, vt Auctorem naturalem, frequentissimum est apud Philosophos, & Theologos. Vnde communis hominum consensus fert, deberi à Deo, ex natura rei, igni calorem, aquæ frigus, causæ cuiuslibet creatæ concursum generalem necessarium ad effectum, cui producendo iam est proximè parata, quantum est ex se; atque posita quorundam existentia, subsequi quædam alia necessitate naturali, & magis certam, tutiusque sperabilem esse existentiam, quàm non existentiam eorum, ex tali suppositione. Videntur itaque est, an communis ista persuasio generis humani, & frequens illa Philosophorum, ac Theologorum sententia nitatur etiam aliqua lege intrinseca rebus ipsi creatis, adstringente Deum ad euentus causas secundis connaturales, an verò nitatur sola libera voluntate Diuina existenti defacto; ita tamen, vt æquè benè dari in Deo potuerit opposita libera voluntas inuertens in omnibus, & quoad omnia ordinem causarum, & effectuum naturalium, qualis defacto datur. Alarcon, Aldrete, & nonnulli alij inclinant ad hoc secundum.

Art. 2. Dicendum tamen est cum communis Sanctorum PP. & Theologorum sententia apud Montoyam disput. 9. & 10. & de Volunt. Dei, dari in natura rerum, creatarum legem quandam, & necessitatem ipsi intrinsecam, ac essentialem, vt plerumque saltem subsequantur ex causis secundis effectus ipsi connaturales, neque Deum esse liberum, vt facta qualibet suppositione rei creatæ, superinducat deinde quemlibet promiscuè effectum, idque vbilibet, & quandolibet, & semper, aut plerumque. Multis in primis est Augustinus in confirmanda, & exponenda ista veritate. Audiatur primum lib. 9. de Genesi ad litteram c. 7. sub initium: *Omnis iste natura visitatissimus cursus habet quasdam naturales leges suas, secundam quas & spiritus vite, qui creatus est, habet quosdam appetitus suos determinatos quodammodo, quos etiam mala voluntas non possit excedere; & elementa huius mundi corporei habent definitam vim, qualitatemque suam, quod unumquodque valeat, vel non valeat, quid de quo fieri possit, vel non possit, &c.* Clarè autem innuit Augustinus leges istas non ita liberè, ac indifferenter latas esse à Pròvidentiæ Dei, vt ipsa pròvidentiæ penitus absolueretur ab exigentiis intrinsecis rerum, easque possit penitus inuerrere quomodolibet. Appellat enim eas leges suas proprias rerum naturalium, agnoscit fundatas in intrinseco earum appetitu, & commensuratas viribus, qualitibusque mundi corporei. Apparet verò clariùs hæc aliquatenus necessaria attemperatio pròvidentiæ Dei cum exigentiis intrinsecis rerum, ex ratione eius doctri-

na, quam post pauca subdit sic: *Neque enim potentia temeraria, sed sapientia virtute omnipotens est, & hoc de unaquaque re in suo tempore facit, quod ante in ea fecit, vt possit.* Cum ergo repugnet Deo potentia temeraria, & omnipotentia sapientiæ virtute destituta; & vtraque inferatur ab Augustino ex pròvidentiæ penitus aberranti ab exigentiis intrinsecis, & innato rerum appetitu, patet, ductum huius appetitus, & exigentiæ, necessitate aliqua obseruari à pròvidentiæ Dei. Eandem aliarum cum aliis rebus connexionem, & inseparabilitatem mutuam subnixam adhesionem ineuitabili pròvidentiæ Diuinæ ad leges, exigentiæque naturæ, docet idem Augustinus lib. 2. Soliloq. cap. 12. propè finem. Sed ne hinc inde plura eius testimonia morosius dicerem, legatur totus liber primus de ordine, necnon secundus vsque ad medium, vbi tamquam primum, ac indubitabile principium supponit, & multipliciter illustrat, atque confirmat necessitatem Dei ad rectum ordinem vniuersi, & ad distribuendum singulis bona eisdem proportionata.

Art. 3. Duo nihilominus alia Augustini testimonia prætermitti non debent, quia sunt præ cæteris illustria, & rem ponunt ob oculos clarissimè. Alterum est ex dicto l. 1. de Ordine cap. 7. post medium, vbi licentius plaudente plurimum Augustino, vtget Trigesimum in hunc modum. *Si Deum iustum non esse responderis, tu videris, quid agas, qui me dudum impietatis arguebas. Si autem, vt nobis traditur, nosque ipsius ordinis necessitate sentimus, iustus est Deus: sua cuiquetribuendo, vique iustus est.* Et post pauca: *Quidve præter ordinem reperiri potest, si Dei iustitia, bonorum, malorumque meritis sua cuique redduntur? Iustum autem Deum omnes fatemur. Totum igitur ordine concluditur.* Agnoscit itaque Augustinus in Deo iustitiam, ratione cuius disparia disparibus debeantur, & sua cuique reddantur. Quamquam autem ad præmia sola, atque supplicia deflexisse videatur; Disputatio tamen illi est de toto vniuersum rerum creatarum cumulo, & præterea de præmiis ipsi, atque suppliciiis disserit independentè à promissione, & pacto, sola ratione naturali, & præcisè ex natura ipsa rei; quo patet doctrinam à nobis intentam contineri in verbis relatis. Alterum testimonium habetur lib. de Quantitate Animæ c. 36. initio. *Deus igitur summus, & verus lege inuolabili, & incorrupta, qua omne quod condidit, regit, subiicit animæ corpus, animam sibi, & suo omnia sibi, neque in ullo actu eam deserit, sine pœna, sine premio. Id enim iudicauit esse pulcherrimum, vt esset, quidquid est, quo modo est, & ita natura gradibus ordinaretur, vt contemplantem vniuersitatem nulla offenderet ex vlla parte deformitas, omnisque anima pœna, & omne præmium conferret semper aliquid proportioni iustæ pulchritudinis, dispositionique rerum omnium.* In quibus patet, legem, qua Deus regit omne, quod condidit, & quam numquam deserit, non esse decretum liberum: ne absurdè dicatur decretis liberis non deferri decreta libera. Quapropter ea lex est dictamen necessarium sapientiæ diuinæ, quod docetur inuolabile, quatenus iudicat pulcherrimum, vt, quidquid est, sit, quo modo est; & quod si deterius esset, eo ipso nec naturæ gradibus idoneè ordinaretur, & contemplantem vniuersitatem iuste offenderet aliqua deformitas, nec feruaretur proportio iustæ, idest debite pulchritudinis. Inest ergo Deo dictamen necessarium, mutuis rerum proportionibus conforme, & quod infra, aut contra illas nihil permittat liberis decretis, & pròvidentiæ diuinæ: Quæ pròinde agnoscitur aliquo modo deuincta ex natura rei exigentiis, & mutuis proportionibus rerum, quas prætergredi, & penitus inuerrere nequaquam possit.

Art. 4. Subscribit Augustino pluribus locis D. Thomas.

mas. Clariora autem reliquis sunt, quae sequuntur. In praesenti q. 21. art. 2. c. *Iustitia igitur Dei*, ait, *quae constituit ordinem in rebus conformem sapientiae suae, quae est lex eius, conuenienter veritas nominatur*. Lex autem non est, quae omnia, utcumque excogitabilia, aequè permittit, nec inducitur ordo in rebus propter conformatam cum ratione sapientiae Dei, si per eam aequè licet; ut res omnes deordinentur. Quaest. 23. de Verit. art. 2. c. *Secundum ordinem*, ait; *sapientia sua disponit de rebus secundum earum conditionem, ut unicuique tribuat secundum modum suum*. Et ad 4. *Secundum ordinem sapientiae suae fertur in aliquid secundum conditionem illius, & sic voluntati Diuinae attribuitur aliquid ex parte nostra*. Nihil autem attribueretur, si praexistente qualibet creaturarum inter se proportionem, aequè posset quando libet, & quomodo libet contra illam, atque iuxta illam quidvis fieri; nec ordinem suae sapientiae sequutus Deus propterea ferretur in res creatas iuxta ipsarum conditionem potius, quam contra illam. Quod tamen manifestè supponitur falsum esse in utroque testimonio. Rursus in eadem quaest. 21. art. 4. & lib. 2. contra gent. c. 28. & 29. statuit discrimen eorum, quae sine iniustitia sunt unicuique negabilia à Deo, ab iis, quae sunt innegabilia ab eodem, dicitque ea esse innegabilia, quae sunt unicuique proportionata: negabilia verò ea, quae excedunt talem proportionem; ac demum ex debito iustitiae conferri unicuique creaturam, quidquid est illi proportionatum, & ab ea secundum conuenientem ordinem exactum. Qua de re audiendum specialiter est in 4. distinct. 46. quaest. 1. art. 2. quaestiuic. 1. ad 2. *Similiter quod Deus talem creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem iustitiae; sed quod aliqua natura producta, et attribuat, quod illi natura competit, hoc ad eius iustitiam pertinet, & contrarium eius iustitiae repugnat*. Repugnat autem, ut quidquam Deus faciat eius iustitiae contrarium. Repugnat igitur, quod aliqua natura producta non ei attribuat, quod illi naturae competit; nempe quod non attribuat, vel formaliter, vel aequiualeuter, ut paulò post exponetur.

Art. 5. Infiniti moliminis esset, non solum expendere accuratè, sed etiam referre simpliciter, aut tantum indicare loca singula, in quibus Sancti PP. ferè omnes suffragantur eidem doctrinae. Videri plurima possunt apud Montoyam in duabus iam praedictis disputationibus, per plures in utraque sectiones. Libet ea tantum hic obseruare, in quae omnes unanimiter conueniunt, quaeque sunt vbique facile obuia. Primum contra Manichaeos, Aduersarium legis, & Prophetarum, aliosque eiusdem farinae audios, ac insanos Diuinæ prouidentiae insectatores, non solum conati sunt offendere Sancti PP. nihil absolute, ac simpliciter malum, omnisque expers bonitatis produisse ab omnipotentia Dei, sed insuper feruida oratione perpetuò addidere, omnia opera Dei talia esse, quibus nihil in ordine ad vniuersum melius, & unicuique conuenientius esse possit. Quod cum comprehensione rerum omnium, quam non habuere, assequi non potuerint, nec de singulis edocti sint per Diuinam reuelationem; atque ut eam acceperint à Deo, independentem tamen ab illa necesse fuerit disputare, utpotè cum Philosophis, aut Haereticis, illis nihil, istis parum, aut nihil reuerentibus scripturas; superest, ut PP. id deduxerint ex aliqua necessitate, qua Deus antecedenter deuinctus sit melioribus, & conuenientioribus respectu cuiusque rei, & respectu vniuersi. Neque hoc spontaneae nostrae interpretationi reliquere PP. utpotè assumentes vbique apertè, in argumentum doctrinae suae, bonitatem Diuinam, decentiae leges, perfectionem infinitam prouidentiae, quatenus repu-

gnantes electioni rerum minùs inuicè congruentium, nec correspondentes mutuae proportioni ipsarum.

Art. 6. Consequenter ad hoc principium vniuersale, tuentur iidem PP. non modò bonum, sed melius, & conuenientius absolute fuisse producere hominem peccabilem, quam carentem proxima peccandi potestate; necnon inducere in hoc vniuersum animalia venenata, atque humano generi praemolesta, herbasque animalibus nocentes; quam eiusmodi omnia excludere ab vniuerso. Vno verbo, vbicumque incidit quaestio, an hoc expediat, vel illud ex iis, quae dantur defacto semper concludunt indubitanter PP. ea expedire, esseque meliora, & conuenientiora in ordine ad vniuersum, quam eorum carentiam. Neque verò id aliundè vñquam probant, quam quia à bono Deo omnia optima, & optimo modo fieri necesse fuit. Quam quidem causalem, si quis reducere velit, ut nonnulli perperam tentarunt, non in naturam ipsam rerum, & ad dictamen necessarium Diuinæ sapientiae; sed vel ad denominationem extrinsecam ab actu libero Dei essentialiter optimo, quidquid, & quomodo libet statuat; vel ad finem, mensuram, & modum perfectionis liberè à Deo unicuique praescriptos, ita ut oppositum finem, & oppositam mensuram, & modum oppositum praescribere potuerit. Qui, inquam, ita interpretari velit eam, & doctrinam, & rationem doctrinae Sanctorum PP. ridiculam planè utramque reddiderit. Secundum namque priorem intelligentiae modum, nihil re ipsa aliud docuissent Sancti PP. quam actus, quibus prouidet Deus rebus creatis, esse optimos, qualescunque demum sint res à Deo factae, & ordo ab eodem in iisdem constitutus: id est, supposuissent id, de quo vñicè erat controuersia; nempe perfectionem Diuinæ prouidentiae in se intrinsecè: idque praetermisissent omnino examinare, unde Haereticorum peruersitas, & caecitas Philosophorum inferebant imperfectam, & defectuosam esse prouidentiam Dei; nempe naturas rerum, constitutionem physicam, & ordinem creatum vniuersi eidem intrinsecum. Quae ineptitudo, non nisi insanè, ac impiè adscribi PP. potest. Non minùs enervat, ac deturpat eandem PP. doctrinam altera interpretatio de fine, mensura, modo praescriptis defacto, cum potestate praescribendi opposita omnia. Vnicus namque conatus PP. est, finem, mensuram, & modum, quibus defacto subiacet vniuersum, esse optimos, quia Deus non nisi optima facere potest: Cui nihil magis oppositum esse potest, quam Deum opposita omnia facere potuisse, eoque ipso eadem opposita omnia futura fuisse optima. Si enim hoc verum esset, frustra PP. laborassent in ostendenda ratione optimi in rebus, quae defacto sunt, & in modo, ac ordine, quo sunt. Suffecisset dicere, Deum ita fecisse, sicut fecit. Quod tamen ut sufficeret, longè aberat ab animo aduersariorum negantium quidquid sit à Deo, eo ipsq. optimè esse, idque vñicè negantium. Qui proinde non aliter conuinci poterat, quam conuincitur à Sanctis PP. defendendo, quidquid à Deo fit, id esse in se intrinsecè optimum, & optimè ordinatum independentè à denominatione extrinseca, certè non per solam denominationem extrinsecam ab actu, vel fine Dei seu proximo, seu remoto, de quo nihil erant impugnatore prouidentiae Dei.

Art. 7. Confirmatur ea doctrina, & intelligentia PP. ex iis, quae pari consensu docent circa ordinem supernaturalem. Tradunt enim, tamquam certissima dogmata, oportuisse, ut Deus assumeret naturam creatam, supposita eius elevatione in ordinem supernaturalem simul cum lapsu in peccatum. Ex suppositione assumptionis, naturam humanam eligi potius debuisset, quam Angelicam: Naturam iam assumptam negari nequaquam potuisse ab instanti conceptionis visionem beatam; scientias omnes per se, & per accidens

accidens infusus, omnesque habitus virtutum non repugnantes beatitudini, & vniioni hypostaticæ; rursus Christum Dominum debuisse nasci ex matre Virgine: huic maternitati debitam, ideoque collatam defacto fuisse immunitatem à peccato originali: huic immunitati annexam fuisse resurrectionem post triduum, atque assumptionem in Cælum. Quæ omnia, & similia non aliunde probant PP. aliique Doctores Catholici; quicumque ea probant, & censent certissima, quàm ex principio, quod tuemur, de necessitate Dei ad optimum, maximèque proportionatum, & connaturale respectu cuiusque rei, siue naturalis, siue supernaturalis ex suppositione, quod existant. Quod si qui non admittant aliquid eorum, quæ modò proposita sunt, aut aliorum eiusmodi, non aliter profectò id faciunt, quàm negando simul proportionem mutua, & exigentiam innatam eius, quod negatur, respectu eius, quod admittitur. Apparet itaque communem omnium Sanctorum PP. & Theologorum ferè omnium consensum indubitatum agnoscere in Deo necessitatem aliquam antecedentem, vt suppleraddat vnicuique rei, ex suppositione quòd existat, ea omnia, quæ sunt illi proportionata, eiusque appetitui innato conformia. Loca singula, circa ea, quæ modo specialiter proposita sunt videri possunt, si placet, apud Montoyam loco iterum, atque iterum memorato, & digno, qui sapissimè in memoriam renocetur, propter incredibilem lectissimæ eruditionis abundantiam, & varietatem.

Art. 8. Maximi eandem in rem momenti est communis, & indubitatus humani generis consensus reputans certissimum, sanè multò certius, quàm oppositum, subsequituram esse combustionem applicato igne ad passum benè dispositum: lapsurum esse lapidem proiectum è fenestra, aut vertice montis; nec permanurum esse in medio aère, aut in loco decliui absque impedimento; craftina diè rediturum esse solem, atque reditu suo illuminaturum, & calefacturum esse; non esse ruiturum in instanti proximè sequenti Cælum, vel etiam domum recens, & optimè fabricatam; & sic de similibus. Si enim nulla maior inesset Deo necessitas antecedens ex sua natura ad volendum, & ad inducendum cooperatione sua, quod est rebus præexistentibus connaturale, atque intrinsecè proportionatum potius, quàm ad oppositum, vana prorsus, & sine fundamento, ideoque stulta omninò esset ea hominum persuasio, & spes magis, & multò magis inclinans ad vnā partem, quàm ad oppositam. Quia existente Deo omninò indifferenti ad vtramque partem, nulla potest esse maior certitudo vllius euentus sic potius, quàm sic futuri, quandoquidem omnes aliæ causæ, quoad omnes suos effectus essentialiter pendent à voluntate, & cooperatione diuina, neque Deus vllam certitudinem fundare potest determinationis, & electionis suæ, atque cooperationis in vnā potius partem erupturæ, quàm in oppositam, nisi sola necessitate antecedenti conueniente sibi ex sua natura ad operandum tali modo, & non opposito. Nempè Deus non acquirit habitus inclinatioes, & determinatioes in vnā partem, sicut acquirunt homines propter longi temporis vniuersitatem in operando sic, vel aliter. Quare si in euentibus propositis, inque aliis similibus nullum esset aliud fundamentum credendi fore hoc, & non fore oppositum, præterquam ita retro euenisse vniuersim per plura sæcula; fundamentum esset nullum, & prorsus vanum. Quia Deus post sæcula, vtrumque multa vniuersim operationis, æquè facit inciperet operari quoad omnia opposito modo, atque si nihil tale vnquam præcessisset, si nihil obstaret aliud, nempè necessitas aliqua conueniens sibi ex sua natura sic, saltem vt plurimum operandi, & non aliter. Cum ergò dicendum nequa-

quam sit, persuasionem illam, & spem firmam vnus, determinatè partis subsequituræ potius, quàm oppositæ, inditam à natura generi humano, esse vanam, ac stultam; dicendum vtiq; est, inesse Deo aliquo modo ex sua natura assertam necessitatem ad optimum vnicuique rei præexistenti connaturale.

Art. 9. Ista porro necessitas Dei ad euentus, & effectus rebus, & causis præexistentibus connaturales non est in primis vniuersaliter, & absque vlla exceptione necessitas metaphysica, sed tantum moralis, seu physica, aut quasi physica. Quia sæpè Deus patrat miracula, quibus suspendit effectus causis secundis præexistentibus connaturales: Quod fieri non posset, si Deus teneretur ad illos necessitate vniuersaliter metaphysica, absque vlla exceptione. Deinde nulla Deo conuenire potest necessitas, aut moralis, aut purè physica, & quæ non sit fundata immediatè in necessitate metaphysica. Quia Deus nihil facere potest difficulter, aut cum maiori, vel minori facilitate, quàm aliquid aliud; sed quidquid potest, æquè facit potest, quia potest infinita virtute, & ex motu infinito mouente ad omnia, ad quæ mouere absolute potest, eadem vniuersim infinitate fundata in infinita sua bonitate, quæ sola secundum se præcisè mouetur Deus ad omnia, ad quæ moueri absolute, ac determinari potest. Quapropter necessitas Dei moralis ad optimum vnicuique rei iam præexistenti connaturale fundatur in duplici necessitate metaphysica, estque realiter indistincta ab vtraque simul sumpta. Altera est, ne cuiquam existentium neget bonum ipsi connaturaliter debitum, nisi facta compensatione per aliquod aliud bonum; aut maius, aut saltem æquale negato, & præterea impossibile ex sua natura cum bono connaturali, quod negatur. Altera necessitas metaphysica est non inducendi, nisi rarenter, compensationes eiusmodi miraculosas. In priori necessitate compensatio illa, vel æqualis, vel excessiua intelligitur faciendā, vel illi ipsi entitati immediatè, & secundum se, cui negatur bonum connaturale, vel faciendā vniuerso, propter quod sunt, & cuius proinde bono cedunt, quæcumque continentur in ipso. In posteriori necessitate Tò rarenter intelligitur comparatione facta cum euentibus, & effectibus, qui sunt connaturales causis secundis præexistentibus, siue actiuis, siue passiuis.

Art. 10. Pro faciliiori assensu duplicis huius necessitatis metaphysicæ conuenientis Deo reip̃a, obseruandum in primis est, Deum defacto semper vsum esse tali compensatione, nec eam nisi rarenter instituisse. Humanitati enim Christi Domini (vt illa striora quæque miraculorum exempla breuiter perstringam) negata est propria substantia sibi connaturalis, sed non nisi subrogata Diuina. Accidentibus Eucharisticis adest substantia, & Sanguis Christi Domini loco substantiæ sibi connaturalis, & inde profunt ad effectus incomparabiliter meliores connaturali informatione panis, & vini. Ignis Babylonicus impeditus fuit à combustione connaturali, sed propter indemnitate innocentium, & commendationem innocentiae, & specialis erga ipsam providentiæ, & amoris Diuini, perpetuè mansuram, & profuturam apud posteros. Substitit aliquando cursus solis, sed concessio progressu, & perfectione victoriæ cedentis in gloriam Dei, & in ædificationem præsentem, ac futuram Cultorum ipsius simul cum fiducia eorumdem in eundem, & sic de alijs eiusmodi absque vlla exceptione, nec enim est exemplum euentus vllius negati miraculosè, absque positio aliquo compensante adæquate, imò, & superabundanter euentum connaturalem negatum. Euentus porro istos miraculosos esse de facto raros, atque rarissimos, si comparantur cum multitudine euentuum rebus connaturalium, mani-

manifestissimum omnibus est. Maxime autem credibile est, miraculum, quale nullum patrum est intuitu Christi, & meritum eius esse absolute impossibile; ac proinde, & frequentiam miraculorum maiorem, quam frequentiam euentuum connaturalium, aut illis supparem esse pariter impossibile. Quia ea ipsa frequentia maior miraculorum, esset genus aliud inauditum miraculi multo mirabilius, quam frequentia minor; sicut etiam foret mirabilis miraculum non compensatum euentus connaturalis, quam quod est compensatum, quia illud contradiceret magis dispositioni praexistenti in natura; atque haec contradictio dispositionis praexistentis est tota ratio admirationis per se. Quis autem credat aliquid ex genere suo mirabilis Deum facere potuisse, quam fecerit intuitu Christi, & meritum eius, cuius existentia dicitur a Sanctis PP. communiter miraculum miraculorum, & inter omnia mirabilia, quae a Deo fieri possunt, mirabilissimum?

Art. 11. Deinde Deus producit omnes suos effectus per amorem erga singulos iuste proportionatum bonitati ipsorum; ita ut meliora quaque magis amet; minus vero, minus bona; nec oppositum contingere possit retenta maiestate, & minoritate bonitatis in vnoquoque, ut dictum est quaest. 25. Quaecumque igitur postulat appetitu innato vniuiusque effectus diuinus ratione intrinseca sua proportionis cum illis, eadem illi appetit, & vult efficaciter amor Diuinus propter vim ecstaticam amoris, transformatiua amantis in rem amatam, & ex suo conceptu conformatiua appetitus inter vtrumque, quod maxime locum habet in appetitu vnius caulato ab amore alterius erga se praecise ex vi amoris, ut contingit in omni appetitu innato rerum creaturarum comparato cum amore Diuino, ex quo videlicet proficiscitur tamquam effectus a causa sua, & a quo dependet tamquam a sua iusta mensura, ut in eodem loco expressum est. Ergo si Deus negaret alicui suo effectui, absque compensatione, ut minimum, aequali bonum illi proportionatum, atque adeo terminatum appetitus innati eidem effectui; eo ipso contradiceret suo amoris, & suae voluntati efficaci, secumque pugnaret voluntatibus inuicem impossibilibus. Quod est impossibile.

Art. 12. Confirmatur haec ratio ex illo Sapientiae 11. 25. *Diligis omnia, quae sunt, & nihil odisti eorum, quae fecisti.* Non autem diligeret Deus, sed magis odisset, quae fecisset, si induceret in ea malum contrarium naturae, & inclinationi ipsorum, absque necessitate eius violentiae ad inducendum bonum aliud, ut minimum, aequale negato. Odit enim profecto, nec verum est, quod diligit, qui negat alicui bonum debitum, atque omnino proportionatum atque ideo deprimat illum infra dignitatem suam absque alio emolumento compensatio talis iacturae. Praeterea non apparet, quid intelligi valeat ex parte Dei nomine dilectionis, & exclusionis odij erga creaturas, nisi voluntas conferendi tale bonum, & exclusio voluntatis inferentis tale malum. Attendatur ratio vtriusque partis, quae adiungitur immediate: *Nec enim odians aliquid constituisi, aut fecisti.* Id est, neque in intentione, neque in executione quidquam hostiliter, contra cuiusque dignitatem, & exigentiam innatam actum est. Quod cum ad solam naturam rerum, solamque conditoris bonitatem secundum se referatur, ut clare apparet ex contextu; efficaciter concluditur non potuisse aliter contingere.

Art. 13. Confirmatur vterius eadem doctrina paritate simul, & ratione a priori. Non minus vnaquaelibet rerum creaturarum collectio, quam vnaquaelibet res creata seorsim est participatio, & similitudo Diuinum perfectionum essentialiter ordinata ad gloriam,

R. P. Esparza. Curs. Theol. Tom. I.

& laudem Dei. Ergo sicut Deus ratione suae perfectionis reddit absolute impossibilem in qualibet individua entitate seorsim, tum coniunctionem, & identitatem praedictorum sibi inuicem dissonantium, & mutuo incoherentium, tum separationem, ac distinctionem eorum, quae sibi inuicem congruunt, ac consonant: ita eadem sua perfectione reddit impossibilem collectionem, & coexistentiam, successionem, & mutuas vicissitudines rerum creaturarum repugnantes, ratione additionis, vel detractionis, appetitui innato, & mutuae proportioni intrinsecae ipsorum. Hoc nimirum pacto, & non aliter euadit amplitudo omnipotentiae, & domini Dei iuste commensurata dictamini sapientiae eius, cui necesse est, ut conformetur omnis operatio Dei tum distributiue, tum collectiue, iuxta illud 1. ad Ephes. 11. *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suae.* Vbi ex observatione D. Thomae ibidem, ideo non dicitur secundum voluntatem, sed secundum consilium voluntatis, ut ostendatur amplitudinem libertatis Diuinae, in volendo, & operando contineri intra ambitum dictaminis Diuiniae sapientiae praescribentis determinatum quandam ordinem in dispositione rerum creaturarum ex suppositione, quod illas condere, & conseruare velit. Hoc est, quod dicebat supra art. 2. D. Augustinus; dum dicebat; Deum non esse omnipotentem potentia temeraria, sed sapientiae virtute. Idem iterum docebat, dum art. 3. sub finem suggererat Deum lege inuolabili, & incorrupta regere omne, quod condidit; id est dictamine necessario, quo iudicauit esse pulcherrimum, ut esset quidquid est; quomodo est; ita videlicet, ut tali legi, & dictamini necessario sese conformauerit, nec potuerit omnia inuerrere, ac deordinare secus operando a toto genere, quam iam operatus sit.

Art. 14. Confirmatur, & declaratur haec ratio. Quia non minus absurdum, & dictamini sapientiae dissonum est, inuerrere totum ordinem rebus connaturalem, resque omnes regere contra quam postulant ratione mutuae proportionis, & exigentiae innatae, quam facere hircoceruum, equum hominem, & similia. Quod etsi ex ipsa terminorum apprehensione, facile cuius appareat consideranti, & deducenti in species determinatas eam ordinis inuersionem, maioris tamen claritatis gratia inquiri; Cui nam non sponte appareat dissonum, & repugnans, totum caeli concuum, exclusis omnibus aliis, repleti solis mulcis, aut araneis, ita ut nihil sit in rerum natura, praeter haec animalia? Caelum Terram, & aquam aërem circumcludi? immitti aëri totum ignem, & in centro horum omnium collocari Caelos? Angelos omnes tota aeternitate destitui speciebus intelligibilibus? omnes homines pedibus in aëra sublatis, & capite ad terram haerenti procreari, atque perpetuo conseruari? Dentes in cavitatibus oculorum in orbem disponi? Oculos inferi mandibulis? neque lucem a sole, nec calorem ab igne, neque frigus ab aqua vnquam promanare? graua sursum, leuia deorsum ferri, aliaque his similia. Quae si plerumque accidere, & magna ex parte ita fieri potuisse, Deumque id non dedecere, imò eadem facilitate sic ea omnia exequi potuisse, qua de facto secus omnia summo sapientiae ordine gubernat, quisquam in animum inducere poterit; is solum nostram sententiam negare audebit. Nempe per ea monstra solus inuerritur ordo legibus naturae praescriptus, absque vtilitate, & compensatione pari. Quod solum negamus fieri a Deo posse.

Art. 15. Confirmatur rursus. Quia Deus facta aliqua reuelatione, necessario tenetur non reddere illam incredibilem editis miraculis, sed magis reddere credibilem. Ergo Deus producta aliqua creatura,

necessario

necessariò tenetur infinitatem sapientiæ suæ, qua illam condidit, non reddere incredibilem, sed potiùs credibilem. Ergo tenetur non negare, per miracula, rebus creatis bona ipsis connaturalia, saltem plerumque, aut maiori ex parte, vel etiam rarò, nulla facta compensatione. Antecedens supponitur ex communi Theologorum consensu, & ex iis, quæ habentur quæst. 18. de Virt. Theol. Patet primæ consequentia. Quia Deus non potest maiori aliqua necessitate compelli ad tuendam suæ veracitatis, quàm suæ sapientiæ opinionem. Probatur secunda consequentia. Quia non minùs idoneum motiuum esset, ad negandam sapientiam Diuinam, earum rerum, quas nuper proposuimus, aliarumque similium frequens deordinatio, aut etiam rarò sine compensatione æquali, quàm idoneum motiuum forent, ad denegandam veracitatem Diuinam, miracula ex sua natura obfistentia assensui huius reuelationis. Vis huius paritatis ex eo maximè elucet; quia sicut de facto Sancti PP. & Theologi optimè suadent credibilitatem mysteriorum fidei miraculis, quæ illi fauent; ita iidem, & probi omnes Philosophi optimè suadent infinitatem conditoris sapientiam pulcherrimo rerum ordine, ex quibus vniuersum constituitur, vt insinuat est qu. 6. in postrema demonstratione. Ergo ex oppositis æquè bene suaderent opposita. Ergo est utrobique æqualis oppositorum repugnantia. Paritatem istam vrget optimè, ac valde appositè D. Chrys. in Demóstrat. aduersus Gent. post med. ab illis verbis: *Ece viderunt tunc operantem*; nisi quòd S. Doctor assumit tanquam antecedens, & vt notius, quod apud nos, propter contrarium paucorum modernorum conatum, deducitur vt consequens; sed perinde est iuxta communes conuersionis regulas. Idem rursus ex eo elucet; Quia sicut repugnat Deo, non omnia cognoscere verè, aut mentiri circa aliquid; ita repugnat eidem, non habere omnia apud se sapientissimè ordinata, ac ideata, aut desipere in efficiendis rebus. Non minùs autem desiperet Deus, si inuerneret ordinem rebus connaturalem, nullo deinde deducto maiori bono, vel saltem æquali; quàm ignoraret, aut mentiretur, obiectis aliter, atque sunt in se, manifestatis per reuelationem. Nempe insipientia practica constituitur rerum administratione ipsis omninò indebita, earumque naturis contraria; sicut ignorantia, aut mendacium constituitur enunciatione opposita obiecto, vt est in se. Vnde optime D. Thomas 1. contra Gent. cap. 81. numero 4. loquens de sapientia, & voluntate Dei subdit: *Sapientis voluntas eo quòd est de causa, est de effectu, qui ex causa de necessitate sequitur. Stultum enim esset velle solem existere super terram, & non esse diei claritatem.* Eadem autem est ratio de cæteris connaturaliter vnicuique debitis. Vnde idem S. Doctor vniuersaliter pronunciat de Veritate, quæst. 9. artic. 2. cap. fine: *In rebus, quæ pertinent ad statum nature, non fit aliqua immutatio diuina virtute, nisi propter aliquid melius.* Sed est attendendus præcipuè Athanasius in orat. contra Idola propius ad finem, quam ad med. vbi post longam, & efficacem perorationem in rem nostram reflectit sic: *Nec video, quòd fieri possit, vt istud non credatur. Si enim irrationabilis esset nature motus, & temerè vniuersitas ista raperetur, rectè quispiam & dictis meis (de vno Deo auctore vniuersi, & rectore sapientissimo) fidem abrogauerit. Sin autem ratione, & arte, & sapientia constant, atque omnia ornatu exornata sunt, necesse est, eum, qui superincumbat, atque ita ea instruat, non alium, quàm verbum, rationemque Dei esse. Quæ est ipsissima nostræ huius Confirmationis ratio.*

Art. 16. Accedit his alia paritas non minoris momenti. Omnipotentia Diuina nihil potest in se præ-

continere penitus malum, omnique carens bonitate, quatenus tale, nec potest esse auctor natura male, aut vilius puri mali. Quæ de re noti sunt omnibus conatus Augustini, aliorumque Sanctorum PP. aduersus Manichæos. Ergo neque continet in se omnipotentia Dei ordinem præposterum rerum creaturarum contradicentem naturis earum, abique villo alio bono inde deducendo. Patet consequentia, quia purum malum non aliunde excogitari potest tale esse, nisi quia opponitur bonitati; quæ de facto est in rebus, quæque est de conceptu participationis causæ in effectu, idest, Dei in creatura facta à Deo. Ordo autem præposterus, & contrarius exigentiæ, atque proportioni mutarum rerum eodem modo opponitur ordini, qui de facto est in rebus; quique est de conceptu similitudinis, & imaginis correspondentis ideæ, & exemplari sapientiæ Diuinæ. Ergo tam repugnat, vt procedat à Deo ordo naturis rerum contrarius, absque compensatione huius quasi deordinationis per ordinem alium aliter compensatum eiusdem exigentiæ rerum; ideòque pure malus, pureque nocens; quàm repugnat, vt procedat à Deo aliquod aliud purum malum simplex, seu non consistens in comparatione, & dispositione vnius rei respectu alterius.

Art. 17. Accedit rursus, *Deum, & naturam nihil perperam facere.* Quod tanquam primum principium viurpat Philosophus 1. de Cælo text. 32. l. de Incessu Anim. c. 9. sine, & alibi sæpè. Exponit autem idem, quid sit oppositum eius, quod perperam, in eodem libro de Incessu c. 2. dicens: *Illorum autem (inuariabilium in natura) vnum est, naturam nihil frustra facere, sed semper ex iis, quæ cunque animalium generis essentia contingunt, id, quod optimum est. Quam ob rem si melius hoc modo, ita natura se habet. Quæ est ipsissima sententia Augustini l. 3. de Libero Arbitrio. c. 5. Quid quid, ait, tibi vera ratione melius occurrit, hoc scias fecisse Deum.* Idest, hoc tanquam certissimum tenendum est, nunquam Deum prætermittere optimum, rerumque naturis maximè conforme, quibus videlicet solis ratio nostra niti potest, vt deducat quod verè melius est. Eodem pertinet, quod dicit l. 1. contra Aduersarium legis, & Prophetarum c. 14. post medium. *Aut verò usque adeò desipiendum est, vt videat homo melius aliquid fieri debuisse, & hoc Deum vidisse non putet? aut putet vidisse, & credat facere voluisse, aut voluisse quidem, sed minime potuisse? Auerat hoc Deus à cordibus piarum.* Vbi hoc maxime obseruandum est, non maius incommodum reputari ab Augustino, quod ascribatur Deo ignorantia rei ab homine cerò cognitæ, vt melioris, aut impotentia eam faciendi, cum voluerit; quam quòd adscribatur nolitio eius, quod ab homine vera ratione videtur melius esse. Consonat vtrique Chrysostomus in 1. Corinth. 12. hom. 30. *Si tu rationum vias ingrediaris mille, nullam inuenies, quæ tam verè, tam appositè habere ista omnia rectè demonstrat, quàm si ita placuisse rerum opifici consueat. Certe enim quod optimum, rectissimumque factum fuit, hoc illum voluisse, consentaneum esse debet.* Quod si hoc ita consentaneum esset, vt oppositum esset non minùs consentaneum, aut minùs eligibile à Deo, vt contendunt aduersarij, nulla ratione tutissimè, vt vult Chrysostomus, acquiescere possemus huic præsumptioni voluntatis Diuinæ optimum semper, rectissimumque diligentis, quando tam facile præsumi posset minùs bonum, minùsque rectū dilexisse Deum. Alia id ipsum ratione vrget iterū Augustinus l. 4. de Genesi ad litteram c. 16. *Bona facere, si non posset, nulla esset potentia. Si autem posset, & non faceret, magna esset inuidia. Quia ergo Omnipotens, & bonus est, omnia valde bona fecit.* Tam igitur certum est, ex suppositione, quod Deus aliqua faciat, ea facere valde

valde bona, id est, optimo ordine inter se constituta, quam certum est inesse Deo potentiam, & non inesse inuidentiam. Certissimum igitur est certitudine fundata in ipsis naturis rerum arguitur, formaliter vero in bonitate, & sapientia Dei infinita, Deum nihil perperam facere posse, neque hoc malum vitare posse, nisi faciendo, quod est optimum respectu cuiusque iuxta proportionem, & exigentiam eius innatam, id est, explendo virtutem actiuam, & passiuam pra-existentem in rebus per effectus, & formas deinde subsequentes, ut exponitur, & aliis intuper rationibus confirmatur q. 6. de Gratia.

Art. 18. Propono ultimo loco incommodum ingens contrariae sententiae: nimirum, seclusa spontanea, & libera promissione Dei, nullam esse certitudinem praemij, & supplicij, quae malis, ac bonis operibus connaturalia sunt, iuxta intrinsecam eorum proportionem; & Deum aqua facilitate statuere potuisse aeternam damnationem omnium hominum bene, ac laudabiliter operantium toto vitae decursu, atque adeo ipsius etiam a conceptione ad obitum usque Sanctissimae semper Virginis Mariae, Matris insuper Hominis Dei, & conuerso decernere aeternam beatitudinem conferendam homicidis omnibus, periculis, sacrilegis, haereticis, atheis, & nihil unquam honestum, vel etiam meditantibus. Quo euanesceret praecipuum pro immortalitate animae, prouidentiaeque Diuinae asserendis argumentum naturale PP. ac probis omnibus Philosophis usque adeo familiare, ac celebre, & ubique gentium validissimum semper habitum; reddereturque penitus inanis grauis illa, veraque sententia Chrysostomi increpantis quosdam hac in re delirantes Philosophos sermone 4. de Prouidentia post medium. *Si nihil est post hanc vitam; neque Deus est.* Quae consequutio est nulla apud aduersarios nostros, itando soli rationi naturali, qua tamen sola nititur ibi Chrysostomus. Aduersarij etenim nostri putant Deum, de potentia absoluta posse post hanc vitam aequare omnium bonorum, & malorum fortunam, vel annihilando omnes, vel omnes pariter, aut detrudendo ad inferos, aut deducendo ad gloriam; vel etiam commutando vices vtrorumque, malis vocatis ad gloriam; & bonis detrulsis ad inferos; atque Deum esse aequè indifferentem, ex natura rei, aut quilibet horum. Cuius rei absurditas tametsi ex se est clarissima, & apparet satis ex ratione proposita, videri tamen multò plura, eaque magni ponderis argumenta, & testimonia possunt apud Montoyam disput. 57. de Voluntate Dei sect. 3. & 4. Interim aduertere libet, quod pluribus confirmatur in quaestionibus de Act. Hum. ex natura rei praecise, & seclusis reuelationibus, & promissionibus Dei, non aliter connecti, nec alia ratione, actus bonos, & malos cum praemiis, & suppliciis, atque connectuntur aliae causae naturales actiuae, & passivae cum effectibus, & formis sibi connaturalibus. Tota enim utrobique ratio est intrinseca proportio, & appetitus innatus in illa fundatus, atque impossibilitas, ut aliquid sit frustra in rerum natura, dum impeditur ab exercitio suae virtutis absque vlla compensatione per aliud bonum, ut minimum, aequale. Quapropter cuiusque videbitur dissonum, uti omnibus dissonantissimum videri debet, bona, & mala opera parem, aut nullum exitum habere, aut habere exitum contrarium naturae, & exigentiae suae; dissonum quoque videri debet, uti re ipsa est, ut res quaelibet aliae destituantur, absque compensatione, effectibus, formis, & quibusvis aliis bonis sibi connaturalibus, & proportionatis exigentiae earum. Ob haec igitur omnia dicendum est, Deum teneri necessitate morali, indistincta à duplici necessitate metaphysica superius explicata, ad optimum unicuique enti crea-

to iam praexistenti connaturale, atque eatenus prouidentiam Diuinam naturalem esse inductiuam legum naturae insertarum ipsi rerum naturae; eandemque prouidentiam iisdem legibus adstringi modo dicto. Cui doctrinae suffragantur quoad scopum eius praecipuum duo praecleari ingenij auctores. Alter est P. Antonius Perez Magister meus, ex quo plurimum proficere potui, & cui potissimum debeo quantumcunque profeci, & quem eundem decessorem habui in lecturis Vallisoletana D. Ambrosij, Academiae Salmanticensis, & Collegij Romani. Alter est P. Michael de Elizalde Discipulus meus plus multò referens vberis fructus de suis, quam sponderent tenuia semina nostra, quem itidem habui successorem in iisdem scholis Vallisoletana, & Romana. Videndus ille est disput. 6. de Volunt. Dei c. 5. Hic quaest. 40. de Vera Religione num. 744.

Ad 1. Certum est, Deum nihil cuiquam debere, quasi acceperit, & inde teneatur ad compensationem ex iustitia commutatiua. Huiusmodi autem debitum excludit à Deo, Augustinus, ut patet ex sua causali. Qui enim gratuito praestat omnia tamquam principium pure liberale totius boni, quod est in Creaturis, clarè conuincitur nihil debere, tamquam acceperit, & titulo iustae compensationis. Ceterum Deus tenetur titulo decentiae ad superaddendum aliqua, ex suppositione, quod iam fecerit aliqua alia, ne videlicet perperam ea fecerit, & incohærenter, atque adeo insipienter. Quo pacto tenetur ad imponendum tectum domui, qui illam fabricauit; quin vllò titulo teneretur fabricare.

Ad 2. Lex naturalis, quae est intrinsecè in rebus creatis, est lex passiuè sumpta, & lata à Deo, simulque quasi intimata per ipsam rerum creationem. Vnde lex naturae hoc modo sumpta ligat res creatas formaliter, non verò Deum. At lex naturae actiuè sumpta est dictamen necessarium Diuinæ sapientiae, quod non obligat propriè Deum, cum sit ipse Deus; determinat tamen, atque necessitat, ut si quidem creandum sit aliquid, disponantur cetera, prout illi congruit, ne quid existat dissonum, malè cohærens, & inordinatum in rerum natura, auctore Deo. Quia verò à isto dictamine sapientiae suae exorbitare non potest Deus per determinationes suas liberas, propterea dicitur obligari, & quasi vinciri eodem dictamine veluti lege sua. Quapropter, quod dicit Augustinus Deum nihil contra naturam facere, quia id cuique rei est naturale, quod ille fecerit; non ita accipiendum est, ut credatur Deum posse facere indiscriminatim, circa res creatas, quidquid à nobis quomodolibet est cogitabile circa easdem; sed ita, ut intelligatur Deum non posse facere, nisi quae sunt conformia rerum naturis, seu potius non posse facere contra naturas rerum, licet facere possit supra illas, impediendo bonum connaturale per aliquid melius intrinsecè impossibile cum illo. Hac nimirum de causa asserta convertibilitate naturali respectu cuiusque, cum eo, quod Deus fecerit, immediatè subiungit. *A quo est omnis modus, numerus, & ordo naturae;* reddendo utique rationem eius, quod praemiserat; ex eo, quod Deus hoc habet ex sua natura, ut cum modo, numero, & ordine operetur, & non aliter. Quod perinde est, atque Deum esse determinatum ad id, quod cuique rei est naturale, vel formaliter, vel saltem æquiualeenter faciendo, quod illi congruit, vel aliquid melius.

Ad 3. Aequè Deum decet, ut producat creaturas, utque nihil producat extra se: Quae est ratio perfectae indifferentiae diuinæ ante omnem suppositionem sibi liberam reddita in illa quaest. 20. At non aequè decet Deum, ut operetur ordinatè, & inordinatè, ut congruit rebus, & ut dissonat; conformiter ad digni-

tatem; quam iisdem idem contulerit amore suo, & contra illam. Vnde, ex suppositione quod operetur, necesse est, ut modo quodam determinato operetur circa singula, non propter obligationem contractam erogando; sed propter necessitatem erogandi sapienter fundatam in infinita perfectione Dei, & in ordinatione essentiali creaturis ad gloriam, & laudem Dei, ad quam conferre non possunt, nisi decenter inuicem ordinentur. Vnde fit, ut necessitas istiusmodi conditionata non sit onerosa Deo, sed honorifica; nec propriè dici possit necessitas iuris creati aduersus Deum, sed potius necessitas iuris diuini aduersus creaturas, utpotè necessitantis ipsas, ut inserviant laudi, & gloriae Dei, & ne aliter existant, quam prout conferre possunt ad hunc finem. Itaque nullum est inconueniens, quod quis ratione beneficii collati teneatur ad supererogandum titulo decentiae, & ne aliquid inutiliter, ac insipienter fecerit, nisi supereroget.

Art. 1. Ad 4. Annihilato penitus vniuerso nihil superesset, cui aliquid aliud congrueret, vel dissonaret, & cuius appetitui esset conforme, vel disconforme, uti accideret permanente aliqua parte vniuersi, & negatis reliquis, quæ illi parti sunt connaturalia, & quibus non superadditis illa existeret perperam, & sine exercitio virtutis suæ actiue, vel passiue, vel adæquatè, vel inadæquatè. Conceditur itaque Deo libera, & perfectè indifferens facultas ad annihilandum vniuersum; prout significatur in illo Sapientiae loco, & alibi sæpè, sed negatur, retenta aliqua parte vniuersi, posse nihilominus reliquam partem connaturalem parti retentæ similiter annihilare; de quo puncto nihil habetur in illo eodem testimonio; quod tamen est punctum totius controuersiae præsentis.

Art. 2. Verum quia communis, & indubitatus hominum consensus non minori cum certitudine sperat non esse annihilandum totum vniuersum crastina die, quam credat ignem applicatum passo benè disposito calefacturum, & combusturum esse, & sic de aliis similibus; imò illud prius omnium putat esse certissimum, estque fundamentum omnis alterius certitudinis purè naturalis circa existentiam æterum creaturarum sic, vel aliter subsequaturam; eaque certitudo non solum habetur ex fide, sed naturaliter inest omnibus hominibus. Explicandum superest, quomodo coherere possit plena, & perfectæ indifferencia Dei ad annihilandum, & non annihilandum vniuersum cum certitudine naturali persuasionis humanæ de annihilatione non futura. Et quidem videri posset non posse à nobis ea duo in concordiam redigi, nisi per manifestam inconsequentiam. Dictum enim est supra art. 8. non posse certò sperari calefactionem, aut combustionem potius, quàm oppositum, igne applicato ad passum, & sic de aliis euentibus connaturalibus, nisi ponatur in Deo necessitas aliqua saltem moralis ad existentiam eorum euentuum connaturalium potius, quàm ad non existentiam eorum. Ergò asserta plena, & perfectæ indifferencia Dei ad conseruationem, & annihilationem vniuersi, non potest retineri maior certitudo de conseruatione futura potius, quàm non futura. Superest nihilominus duplex ratio concordandi consequenter eam indifferenciam cum ea certitudine. Prior ratio est; quia necessitas illa moralis Dei ad euentus, & effectus rebus, & causis præexistentibus connaturales dicta à nobis est supra art. 9. indistincta à duplici necessitate metaphysica, altera non negandi quidquam connaturale absque compensatione æquali, vel superabundanti, altera neque eo modo negandi, nisi rarò. In annihilatione vniuersi non deesset compensatio æqualis. Quia redigerentur omnia ad eum statum, in quo erant ante

tequam conderetur vniuersum; pro quo statu nihil esset, quod præponderaret, vel ex parte existentia, vel ex parte non existentia vniuersi; sed vtrumuis æquè deceret Deum, & esset æquè bonum absolute, & simpliciter, atque laudabile æqualiter, ut liquet ex dictis quæst. 19. & 20. Vnde ex hac parte nulum esset maius fundamentum sperandi conseruationem, quàm timendi annihilationem vniuersi. Altera tamen necessitas metaphysica non perturbandi nisi rarò, etiam cum compensatione, ordinem rebus connaturalem, præbet sufficiens fundamentum eidem certitudini communis persuasionis de conseruatione mundi. Quia malum, quod ex genere suo tale est, ut non nisi rarissimè contingat, vix vnquam timetur, & in singulis opportunitatibus tutissimè speratur non futurum. Licet enim aliquando contingat ruere repente domum, quin rimas ante fecerit, aut vllum præcesserit signum ruinæ: & similiter accadat, ut tegula, è tecto delapsa frangat caput transeunti, nullo impellente vento, & nemine mouente tectum, perinde nihilominus tutò, & absque vlla sollicitudine, & degunt in domibus, & ambulant per vrbes, dum nullum apparet sinistrum indicium, atque si nihil tale vnquam contingeret. Similiter ergo fieri potest, ut homines nulla sollicitudine tangantur de annihilatione mundi, tametsi Deus sit ad illam prorsus indifferens, quia is euentus pertinet ad illud genus euentuum, qui non nisi rarissimè contingere possunt, & ad quorum frequentiam, neque cum compensatione, neque sine compensatione, est Deus vlatenus indifferens.

Art. 3. Altera ratio fundatur in natura substantiarum rationalium, quæ sunt intrinsecè immortales, & ordinatæ ad finem æternum duraturum, atque obligatæ, ut operentur in ordine ad illum, cum minis, ex parte Dei, incidendi in æternam damnationem, si secus faciant. Quæ cognitio, cum habeat vim legis, sitque omnibus indita à Deo tamquam à legislatore, falsa esse nequit. Quia nequit Deus esse legislator fallax, & nugator. Quapropter casu, quo Deus vellet annihilare mundum, necesse esset, ut prius quoddam aliud patraret miraculum; nempe negandi substantiis intellectualibus dictamen illud rationis dirigens ad æternitatem, & naturali necessitate subsequens ad substantiam intellectualem, & compensandi, per aliquid supernaturale, defectum miraculosum talis dictaminis. Dum ergo experiuntur homines necrum horum accidere, atque adesse dictamen illud conscientia à Deo sibi impressum, quod est artha certissima æternitatis, dubitare nequaquam possunt, an sit, vel non sit annihilandum totum vniuersum. Quia nec fieri potest, ut annihilaretur stante ea suppositione: atque hæc ipsa suppositio tolli non potest, quin detur aliquod compensatum saltem æquale; quod quale futurum esset, non necesse est, ut nobis innotescat in particulari. Sufficit, quòd generaliter innotescat plura Deum scire, & plura posse facere, quàm nos comprehendere, ac determinare possumus; & quòd præterea assequamur, nullum bonum connaturale negari à Deo posse absque compensatione, ut minimum æquali, vel reponente aliundè tantundem boni, vel remouente tantundem mali naturaliter consequentis ex rebus præexistentibus, aut in eis contenti. Ad nullam igitur inconsequentiam nos cogit annihilabilitas mundi. Quod dicitur de iure, & legibus naturæ auferibilibus à Deo simul cum existentia habentium ius, & præferentium leges, nihil est. Quia iura, & leges naturæ non obligant, nisi conditionatè, nempe sub conditione, quòd existant, & conseruentur entitates creatæ, quibus illa insunt. Præterea eadem iura & leges passiue tantum, & arguitiue sunt talia, cum rationem legis actiue, & formaliter habeat

beat solum dictamen necessarium Sapientiae Dei, vt dictum est supra, & paulò post distinctius exponetur.

Art. 1. Ad 5. Posita incorruptibilitate inalterabili Cælorum, communis responsio eorum qui illam tuentur non recurrit ad Angelos, vt motores quomodolibet pro libito corpora Cœlestia; sed in iisdem corporibus ponit exigentiam intrinsecam ad vniõnem sui cum Angelis præcisè, vt motoribus in ordine ad locum, & similiter ponit in Angelis necessitatem inuitabilem libera eorum voluntate, vt moueant ea corpora, prout expedit ad conseruationem vniuersi, & ad directionem, & adiutorium causarum sublunarium iuxta earundem naturam. Quo cessat difficultas obiectiõnis.

Art. 2. Verum difficillimum mihi semper visum est, vt corpora Cœlestia ex vna parte nullam habeant vim causatiuam motus localis, quo circumagantur in vtilitatem mundi inferioris, & consequenter, nec exigant immediatè eundem motum localem sui, ex alia verò parte exigant vniõnem Angelorum secum præcisè, vt localiter mouentium, & circumagentium. Difficillimum, inquam, semper visum est, quia, qui non appetit effectum ratione sui, non potest appetere causam ratione talis effectus præcisè. Qui enim non appetit calorem ratione sui, non potest appetere ignem præcisè, vt calefaciat, & sic de aliis eiusmodi. Ergo si Cæli idè non mouerentur localiter actiuitate sua, quia non appetunt eum motum ratione sui, sed omninò respiciunt tamquam inutilem sibi: fieri non posset, vt exigerent appetitu innato sibi intrinseco vniõnem sui cum Angelis præcisè, vt mouentibus localiter. Quapropter, tametsi ea respondendi ratio contemni non possit, sed plurimi reuerenter facienda sit, vtpotè auctorem habens D. Thomam, aliosque magnos Doctores; placet nihilominus indicare potiùs, ac tentare, quàm dare, & itabilire ex professo alium respondendi modum.

Art. 3. Cœlos esse alterabiles, & inter alia, capaces condensationis, & rarefactionis, vsque adè efficacibus, & claris documentis ostendunt moderni astronomi, vt videatur non posse iam amplius id in dubium facile reuocari. Positis autem vicibus condensationis, & rarefactionis, & (quod ex eadem causa necessariò prouenit) emissionibus vaporum, & receptionibus pluiarum, aut influxuum quasi pluuialium, negari non potest motus localis cœlorum ab eadem virtute ipsorum propria proueniens, à qua prouenit vtrique illa vicissitudo dispositionis eisdem intrinseca. Quia nequit corpus in eodem omninò loco consistere, quoad omnes suas partes, dum rarefit, & dum condensatur; emittit fursum partes sui, eisdem deinde relabentes recipit. Rursus posito, hac de causa, aliquo motu locali cœlorum orto ab actiuitate ipsorum propria, & ab influxu mutuo aliorum in alia corpora cœlestia, facile est credere, etsi forte non sit facile ad plenum ostendere, corpora cœlestia eadem actiuitate ipsorum propria fortiri totum eum motum localem, quo circumaguntur defacto, & quo indigent corpora sublunaria, absque maiori indigentia impulsus, & directionis Angelorum, quàm sit in mari ad fluxum, & refluxum, quibus ordinatissimè perpetuo agitur, in ventis, & aliis eiusmodi. Habent itaque Cœli appetitum innatum, & leges suas sibi intrinsecas respectu motuum, quos peragunt, & respectu effectuum quos mediantibus illis producant. Verum de hac re alius erit dicendi locus.

Ad 6. Lex naturæ inducta necessitatis in Deum ad bonum vnicuique naturale, primitus, & tamquam in prima radice præexistit in dictamine simpliciter, & absolute necessario Sapientiae Dei iudicantis, vel ni-

hil omninò creandum esse, vel creandum esse in numero, pondere, & mensura, idèst cum proportionem, & ordine congruenti, quidquid creabitur. Huic legi conformatur necessariò determinatio libera Dei creandi aliquid, ita vt sit libera, quatenus est volitio creandi, sed non sit præterea specialiter libera, quatenus vult proportionem, & ordinem congruentem rerum, quarum existentiam liberè eligit. Istud porrò decretum liberum Dei est lex proxima, & immediata naturæ, cui necessariò parent res creatæ procedentes ab eodem decreto necessitate parendi realiter indistincta ab entitatibus ipsarum. Quæ proindè necessitas dicitur lex passiuæ naturæ essentialiter conformis legibus actiuis sapientiae necessariae, & decreti liberi Diuini, modo dicto. Dicitur etiam appetitus innatus eadem illa necessitas conformitatis cum vtrique lege actiua. Appetitus namque innatus, idèst, non directus ratione, quæ insit ipsi appetenti, dicitur talis relatè ad appetitum elicatum, & intellectualem eius, à quo dirigitur, & perducitur ad opus, finemque suum idem appetitus innatus, & entitas, cui ille insit. Ac demum eadem illa necessitas, & hic appetitus innatus sunt propriè, & sine metaphora proportio vnius entitatis cum alia entitate. Patet itaque ex his, quales sint, & quid sunt, & quòd omni vacent absurditate leges naturæ, quas inducit prouidentia Dei, & quibus eadem deuincitur, & quomodo deuinciatur. Patet insuper ex iis omnibus, quæ dicta sunt in hac quæstione circa necessitatem Dei ex suppositione, iunctis iis, quæ præmissa sunt quæstion. 20. circa indifferentiam absolutam Dei, quanti sit momenti vtrique hac doctrina, si attendatur D. Thomas l. 2. contra gent. c. 29. vbi præmissa vtrique ea assertionem, altera confirmata eodem illo in capite, altera confirmanda in capite 30. proximè sequenti, concludit sic: *Sic igitur excluditur duplex error, eorum scilicet, qui Diuinam potentiam limitantes, dicebant Deum non posse facere, nisi quæ fecit, quia sic facere debuit; & eorum, qui dicunt, quòd omnia sequuntur simplicem voluntatem eius absque aliqua ratione, vel querenda in rebus, vel assignanda.* Legatur vtrumque illud caput: vtrumque enim æquè efficaciter, & vtrumque efficacissimè, quantum quidem ego assequor, concludit intentum suum, & nostrum.



QVÆSTIO XXIX.

Vtrum prouidentia Dei purè naturalis possit esse specialiter gratiosa erga aliquos?



IDEVR erga neminem posse specialiter esse gratiosa, nisi prætergrediatur limites naturæ, & superinducatur prouidentia supernaturalis. 1. Quia, vt dicit D. Thomas in 4. distinct. 46. q. 1. art. 2. ad 1. quæst. in responsione ad 2. *Quòd Deus talem creaturam producat, qualem voluerit, indifferens est ad rationem iustitiæ. Sed quòd aliqua natura producta ei attribuitur, quòd illi naturæ competat, hoc ad eius iustitiam pertinet, & contrarium eius iustitiæ repugnat.* Deus autem vt auctor naturalis id solum vnicuique attribuit, quod illius naturæ competit ex se. Ergo quidquid Deus præstat, vt prouisor rerum naturalis, præstat ex obligatione iustitiæ, & quidem tam strictæ, quàm significat idem, ibidem ad 2. quæst. *Dicendum quòd Deus se ipsum negaret, si creatura non conferret, quòd ei deberetur secundum suam dispositionem. Sic enim veritatem non seruaret in operum conditio-*